



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiaë, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 18. Respondetur obiectioni cap. 9. propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

necessitatem illius concursus repugnare libertati: & in hoc sensu traditum esse interdum à Concilijs, & Patribus bona opera naturalia non posse fieri sine auxilio DEI, vt loquitur etiam Diuus Thom. 1. 2. quæst. 109. artic. 1. & 2. id est, sine cooperatione Dei. Sed quamuis fortasse vnum, vel aliud testimonium Concilij Arausicani, aut Hieronymi, vel aliud simile possit hoc modo exponi, non tamen omnia illa: præcipue quæ de necessitate gratiæ adiuuantis & præuentis per inspirationem, & illuminationem diuinam loquuntur: illa enim clare supponit, non esse in libero arbitrio sufficientes vires ad illos actus, de quibus loquuntur, non solum quia dependent in operando à prima causa, sed etiam, quia in ratione causa proximæ, est insufficientis: Et ideo, cum de necessitate gratiæ ad singulos actus loquuntur, sine dubio tractant de operibus pietatis, vt ostensum est.

D Thom.

8. Ad primam rationem.

Conc. Arau.

Rom. 10.

Augustin.

Secundo respondetur.

Ad primam rationem ex necessitate orationis desumptam dici potest primo, orationem veram, de qua Sancti, & Concilia loquuntur, esse vnum ex operibus pietatis, quod sine gratia Dei fieri non potest, vt expresse tradit Concilium Arausican. capit. 3. dicens, gratiam non dari ad humanam inuocationem, sed ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis. Et ratio est, quia vera oratio debet fieri ex fide, vt passim in Euangelio Christus dixit, & sumitur ex illo Pauli ad Romanos 10. *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt?* oratio autem ex fide est etiam ex gratia. Et hoc confirmat idem Paulus ad Romanos 8. dicens, *Spiritus adiuuat infirmitatem nostram.* Exponendo vero ad quid adiuuet adiungit, *Nam quid oremus, sicut oportet, nec scimus, sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus,* id est, postulare nos docet, & facit, iuxta Augustini expositionem de qua in 2. lib. de Trinitate. cap. 6. Et eodem sensu subdit, quod, *Spiritus secundum Deum postulat pro Sanctis,* id est, eos facit orare, oratione secundum Deum, id est, sicut oportet, vt Deo accepta sit. De hac ergo oratione loquitur Augustinus, quando ab illa sumit argumentum ad necessitatem gratiæ. At hæc oratio neciri puris naturalibus fieri ab homine potest, nec ab infideli fieri potest, cum in fide fundetur: ergo vel homo in pura natura, & nunc homo infidelis non potest facere bonum opus morale, quod absurdissimum est, vel illa oratio necessaria non est ad singula bona opera moralia, nec ratio Augustini ad rem presentem accommodari potest.

Secundo dicimus, esto, non sit gratia necessaria etiam infideli homini ad singula bona opera moralia virtutum acquiritarum, nihilominus orandum esse Deum, vt ad singula bene præstanda det auxilium peculiare, vel vt tale opus non mere naturaliter, sed aliquo modo meritorie fiat. Vel certe, quia licet auxilium gratiæ per se non sit necessarium ad singula ex his operibus, saltem est necessarium ad non peccandum, etiam contra legem naturæ, & contingens est in singulis actibus peccare, & incertum homini est, vbi possit ei accidere peccatum contra rationem naturalem, & ideo in singulis orare debet, ne illud eueniat. Vnde, si absq; fide posset homo habere cognitionem aliquam, & spem imperfectam auxilij diuini, sicut nunc habet Iudæus, deberet etiam, vt posset, orare propter eandem causam, quamquam re vera talis oratio, de se valorem non habeat.

20. Declaratur exemplo de homine infirmo, quo D. Thomas in hac materia vtitur. Quamuis enim sine auxilio alterius possit paruam viam agere, aut singulos passus reddere: tamen, quia non potest solus totum motum efficere, & in singulis passibus cadere potest, ideo ad omnes continuatum auxilium postulat: ita ergo præstare se debet homo circa singula opera bona, propter periculum, quod est in singulis. Maxime, quia in præscientia Dei conditionata potest esse necessarium tale auxilium ad hoc, vel il-

lud opus cum effectu præstandum, etiam si absolute non sit necessarium. Quia nimirum Deus præuidet, quod sine tali auxilio non fiet opus, etiam si absolute possit fieri. Atq; ita quamuis generatim loquendo, prudens petitio auxilij non sit semper propter absolutam impotentiam, & necessitatem simpliciter, sed possit esse propter maiorem suauitatem, & facilitatem, vt in rebus humanis est euidentis, tamen respectu Dei semper hæc commoditas reducit ad aliquam necessitatem, quia in eius præscientia potest esse necessarium ad esse operis, quod simpliciter non est necessarium ad posse.

In secunda ratione postulat, an possit homo vincere aliquam tentationem contra legem naturæ, vel ad singulas vincendas sit necessaria gratia. Non enim desunt homines doctissimi, qui licet fateantur non esse necessariam gratiam ad singula opera honesta, putant esse necessariam ad vincendas singulas tentationes, saltem quatenus per dæmonis industriam, & efficaciam augeri, & vrgeri possunt. Quæ gratia, vel positiua est ad vincendam grauissimam tentationem, quam permittit DEVS, vel saltem negatiua, quia non permittit, vt dæmon tentet, quantum potest, gratia est. Alij vero in alio extremo contendunt, hominem posse viribus liberi arbitrij resistere cuiuslibet tentationi sigillatim, quantumuis grauis videatur, licet perseverare diu in hac victoria non possit, sine auxilio gratiæ. Alij respondent, leuiore, ac ordinarias tentationes sigillatim sumptas posse vinci ab homine per vires liberi arbitrij, non consentiendo. Quod quidem est satis ad operandum aliquod opus bonum morale. Nam (vt dixi) hic non agimus de quolibet opere, etiam distributiue, & includendo etiam difficilima, sed indefinite, de aliquo bono opere: illud autem etiam sine vlla tentatione occurrere potest.

11. An ad vincendam aliquam tentationem contra legem naturæ, vel ad singula sit necessaria gratia. Primum placitum. Alia opinio.

Tertia opinio.

Quod si institer, nullum esse opus, quod remota gratia, non possit esse difficile, imo & impossibile, si Deus permittat, hominem tentari à dæmone, quantum potest. Respondeo in primis, fortasse non ita esse, quia multa obiecto, & circumstantijs, vt perseverante vsu rationis non valeat dæmon tantam difficultatem apponere. Nam, si adeo perturbet, vel distrahat mentem hominis, vt non possit attendere, iam non erit actus, vel omisso culpabilis: si autem possit homo satis attendere, sepe res ipsa non patietur tantam difficultatem. Deinde dicitur, esto concedamus esse aliquam gratiam, quod Deus non permittat hominem grauius tentari in singulis operibus bonis, quam de facto tentetur, non esse id contra veritatem, quam defendimus. Quia illa gratia est extrinseca, & non est per se causa, sed solum tanquam remouens impedimentum: hic autem tractamus de interna gratia illuminationis, & inspirationis, diuiniq; adiuutorij, quæ gratia est per se, & propria causa illorum actuum, propter quos datur. Ad tertiam rationem dicemus in cap. seq.

CAPVT XVIII.

Satisfit principali obiectioni in cap. 9. proposita.

Circa obiectionem principalem, in cap. 9. propositam cuius occasione hæc omnia diximus, multi Theologi non sentent inconueniens concedere, in aliquibus, & multis hominibus adultis præcedere aliquod vel aliqua bona opera moralia ante omnem internum auxilium præueniens, quod sit vera, & supernaturalis gratia. Nam cum tale opus sit possibile ex sola ratione, & libero arbitrio non habet per se connexionem cum præuenienti auxilio gratiæ.

gratiam, ergo nullum est inconueniens, quod de facto precedat.

Atque hinc vterius multi docuerunt sic facienti quod in se est ad bene operandum moraliter per naturales vires, quas tunc solas habet, Deum conferre suam gratiam non sanctificantem, sed primi auxilij supernaturalis, seu vocationis ad fidem. Ita docuit expresse D. Th. 2. d. 5. q. art. 1. d. 28. q. vni. art. 4. q. 14. de verit. art. 11. ad 1. agens de filio infidelium in syluis nutrito, qui perueniens ad vsum rationis, ductum re-
f. rationis sequitur, de quo ait, fore à Deo supernaturalliter illuminandum. Quod confirmat lib. 3. contra gent. c. 159. & 1. 2. q. 89. art. 6. Idem sentit Altrif. li. 3. summa tract. 2. c. 1. q. 5. & li. 2. tract. 11. c. 1. q. 4. Alenf. 1. p. q. 29. m. 3. art. 1. ad 1. & 2. p. q. 19. m. 8. §. 1. & 3. p. qu. 69. m. 5. art. 3. ad 5. & 6. Gerf. Alpha. 2. 4. lit. M. & Alpha. 61. lit. G. & in tract. de vita Spirituali, lect. 1. Idem docuerunt communiter Theologi in 2. d. 28. Alb. art. 1. ad 4. Argid. art. 2. §. 2. ad 2. Rich. art. 1. q. 2. Nicol. de Orbelli. art. 2. & d. 27. Gab. 2. d. 22. q. 2. art. 3. dub. 1. & alij quos cap. 7. retuli. Idemq; secuti sunt ex modernis Thomist. Sor. 4. d. 1. q. 2. art. 3. Vt relect. de puero veniente ad vsum rationis 3. p. nu. 14. Can. Relect. de sacram. in gen. p. 1. & 2. censet probabile Med. 1. 2. q. 89. art. 6. dub. vlt. & q. 109. art. 6. du. 3. ad 2. & 3. Vigner. in Institutioni. Theo. cap. 10. §. 4. Zumel. 1. 2. q. 112. art. 3. disp. 5. Idem sequitur Vega lib. 13. in Trid. c. 12. Via. 3. Cord. late lib. 2. de Ignor. qu. 4. tota, & q. 5. ad 4. Item Dried. tract. de Concordia p. 2. capite vlt. & de capti. & redemp. gen. hum. tract. 2. cap. 2. ait pie hoc credi, & in eo non pertinaciter errari. Idem Ruardus art. 7. §. Doctores, Albertus Pighius de libero arbitrio contra Caluinum folio 99. vbi dicit esse sententiam Patrum, quam multi alij secuti sunt ex his, qui contra hæreticos huius temporis scripserunt.

D Thom.
Aliffo.
Alif.
Gerson.
Alerr.
Argid.
Rich.
Nicol.
Vig.
Gad.
Can.
Med.
Puer.
Zumel.
Vega.
Cord.
Dried.
Ruard.
Pighius.

Mar.
Eremita.

De hac sen.
tentia non
sequitur dari
causam pre-
destinationis
quoad vlt. ef.
fectum.

sic enim videtur talis homo esse causa primi auxilij sibi collati. Respondetur, neq; hoc modo esse causam illius effectus, vt ad prædestinationem pertinet. Tum, quia prædestinato datur illa prima illuminatio, non solum vt gratia sufficiens, sed etiam vt efficax, & congrua, ad quod nullo modo seruit tale opus, etiam per accidens: sed ex diuina electione immediate procedit, tum etiam, quia si per illud opus bonum præuenitur talis homo, ne impedimentum ponat vocationi, hoc ipsum est ex prædestinatione, vt infra latius dicam.

Atq; ita etiam cessant incommoda, quæ ex illa sententia inferuntur. Nam illa sententia non supponit posse hominem in hoc modo viuere, aut sapius posse bene operari sine gratia auxilio, quin multo frequentius peccet, nisi diuinitus præueniatur: sed supponit solum, posse aliquid boni facere, quod licet parum sit, saltem potest deseruire ad impediendum pro tunc peccatum. Et tunc credit de misericordia Dei, non defuturum tali homini, non propter opus eius, quod nullam habet proportionem cum gratia, sed quia de se propensus est ad dandum omnib. sufficientia, ac necessaria remedia ad salutem.

Vltimo vero addo, totam hanc sententiam nobis necessariam non esse ad expediendam difficultatem positam, & ideo nunc nec probamus illam, nec reuicimus: pendet enim ex multis principiis, quæ in materia de gratia examinanda sunt. Dico ergo ex illis verbis Pauli, Deus vult omnes homines saluos fieri: potius sequi probabiliter, omnibus hominibus ad ultis dare aliquod principium salutis, atque adeo aliquam vocationem. Vnde quamuis ante hanc vocationem supernaturalem possit homo aliquod bonum opus facere, & illud faciat, & postea vocetur à Deo, non sequitur, quod vocetur propter opus, sed pro generali Dei beneuolentia erga homines, & propter Christum. Neq; etiam est necesse, vt tale bonum opus concurrat remouendo obicem, quia etiam si homo maxime peccaret, Deus illuminaret illum ex illa generali voluntate, vt pie credi potest. Nam quia tempus dandi hanc illuminationem primam, non est vnum, & idem præfixum pro omnibus hominibus, sed Deus dat tempore opportuno, vel à se definito, ideo, siue homo antea operetur bene, siue male, nec acceleratur, nec retardatur tempus illud à Deo præfixum, nec in eo præfiniendo habuit Deus respectum ad opus hominis, sed ad ordinem suæ sapientie & consilium suæ voluntatis.

Atq; ita tandem constat, nullam esse connexionem inter has quæstiones, de causa prædestinationis, ex parte nostra, & de potestate arbitrij ad faciendum aliquod bonum opus morale sine gratia. Quia etiam si tale opus fiat ante omne auxilium gratiæ supernaturalis, non potest vilo modo fundare gratiam ipsam, nedum prædestinationem eius. Quod cum sit verum de omni auxilio maxime de congruo, & efficaci, quale esse solet illud, quod est prædestinationis effectus. Quæ omnia ex dicendis cap. sequenti magis confirmabuntur.

5.
Non sequi à
lia incommo-
da dicta.

6.

Responsio ad
obiectionem
Præcipuum.

7.
Nulla est co-
nexio inter
causam præ-
destinationis
ex parte no-
stra & pote-
state arbitrij
ad aliquod
bonum mo-
rale sine gra-
tia.

CAPVT XIX.

Bonum opus morale ordinis naturalis, seu virtutis acquisitæ non posse esse causam propriam prædestinationis quoad aliquem effectum eius, etiam si ex aliqua gratia, extrinseca proficiatur.

Hætenus dictum est de operibus bonis quatenus à libero arbitrio, absque gratia aliquo modo fieri possunt: iam dicendum est de operibus ex gratia factis. Quoniam vero gratia non solum necessaria est ad supernaturalia opera: sed etiam iuuat

Handwritten notes in the right margin, including the word "ARTE" and other illegible characters.